



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0513

Sabato 27.06.2015

Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale alle celebrazioni del 600.mo anniversario della morte di Jan Hus (Praga, 5-6 luglio 2015)

In data 2 maggio 2015 è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Miloslav Vlk, Arcivescovo emerito di Praga, a Inviato Speciale del Santo Padre alle celebrazioni del 600° anniversario della morte di Jan Hus, previste nella città di Praga nei giorni 5 e 6 luglio 2015.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Don Michael Němeček, del clero dell'Arcidiocesi di Praga, Vicario episcopale per la Pastorale;
- Rev.do Don Miroslav Šimáček, del clero della Diocesi di Litoměřice, Arcidecano della parrocchia Ústí nad Labem e Canonico del capitolo della Cattedrale di Santo Stefano a Litoměřice.

Riportiamo di seguito la Lettera del Santo Padre Francesco al Card. Miloslav Vlk:

Lettera del Santo Padre

*Venerabili Fratri Nostro
MILOSLAO S.R.E. Card. VLK
Archiepiscopo olim Pragensi*

Reipublicae Cechae cives VI centenariam memoriam recolunt obitus Ioannis Hus, sacerdotis catholici et Rectoris praeclarae Universitatis Studiorum Carolinae Pragensis. Ille vir, quem sanctus Decessor Noster Ioannes Paulus II definivit pernotum praedikatorem Bohemicum, inter illustrissimos magistros, olim discipulos huius Universitatis, qui singulari in populo Cecho gaudet pondere (cfr *Sermo ad participantes Congressionis Internationalis de Ioanne Hus*, Romae, XVII Decembris anno MCMXCIX), aetate etiam nostra, potissimum in dialogo oecumenico promovendo, praebet nobis adiumenta et proposita.

Occasione memorati anniversarii data, multa in Republica Cecha suscipiuntur incepta ut vulnera temporis

praeteriti novo curentur prospectu novisque relationibus inter homines et coetus qui vario modo tum historiam tum praesens tempus interpretantur, bona tamen voluntate ducti atque de vera hominis progressionem solliciti.

Quapropter Venerabilis Frater Noster Dominicus S.R.E. Cardinalis Duka, O.P., Archiepiscopus Metropolita Pragensis atque Praeses Conferentiae Episcopalis Cechae, audita sententia Confratrum Episcoporum, humanissime a Nobis quaesivit ut aliquem eminentem Virum mitteremus qui Nostras vices Pragae gereret Nostramque erga Christi discipulos in Republica Cecha commorantes dilectionem significaret.

Ad Te autem, Venerabilis Frater Noster, qui Metropolitanam Ecclesiam Pragensem prudenter es moderatus quique ab longinquo tempore vitam, opera et scripta Ioannis Hus ordinata ratione interpretaris studium in provincia oecumenica demonstrans, mentem Nostram vertimus Teque hisce Litteris MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM nominamus ad eventus qui Pragae diebus V et VI proximi mensis Iulii perficientur.

Memoratum sacrorum Antistitem Pragensem aliosque Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates, sodales aliarum confessionum atque universos christifideles Nostro salutabis nomine. Omnes adstantes verbis tuis ad assiduam Christi vitae imitationem invitabis adque praecepta divina cotidiana in vita diligentiore usque modo servanda. Hoc enim modo etiam dialogum oecumenicum prosequi possumus verba Concilii Oecumenici Vaticani II considerantes: "Meminerint omnes christifideles se Christianorum unionem eo melius promovere, immo exercere, quo puriorem secundum Evangelium vitam degere studeant. Quo enim arctiore communione cum Patre, Verbo et Spiritu unientur, eo intimius atque facilius mutuam fraternitatem augere valebunt" (*Unitatis redintegratio*, 7).

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus amabiliter transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die IX mensis Aprilis, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS

[01123-LA.01] [Testo originale: Latino]
